

ACTA

DIEI FESTI SEMISAECULARIS

UNIVERSITATIS LITTERARUM REGIAE

HUNGARICAE FRANCISCO-JOSEPHINAE

SZEGEDINI DIE XXIX. MENSIS JUNII

ANNO MCMXXII. CELEBRATI.



8579

S Z E G E D ,

SZEGED VÁROSI NYOMDA ÉS KÖNYVKIADÓ R.-T.

1923.

SZTE Egyetemi Könyvtár  
Egyetemi Gyűjtemény  
2

HELYBEN  
OLVASHATÓ

SZTE Egyetemi Könyvtár



J000729879



I.

### De rebus diei festo antecedentibus.

Senatus Academicus Universitatis Litterarum in consessu anno 1921. die 30. mensis Novembris habito auctore Gasparo *Menyhárth*, Rectore Magnifico illius anni decrevit, ut festus dies anni quinquagesimi Universitatis conditae sollemnibus publicis celebraretur, quorum praeparandorum causa praeside Rectore elegit Alexandrum *Márki*, prodecanum ordinis philosophorum et Carolum *Tóth*, decanum ordinis iuris et politicae consultantum.

In consessu senatus die 14. mensis Decembris habito Rector Magnificus ex decreto virorum delectorum senatui proposuit, ut historia Universitatis semisaecularis a docto quodam viro perscriberetur. Quod munus senatus Alexandro *Márki* mandavit.

Die 26. mensis Aprilis anno 1922. adhortatione ex loco superiore impulsus Senatus decrevit 1. ut dies festus latius splendidiusque celebraretur, ad quem etiam externae Universitates societatesque litterarum invitarentur, constituitque, ut ludi sollemnes die 29. mensis Iunii haberentur; 2. ut ex singulis ordinibus terni viri ad praeparandos iudos eligerentur, administracionem autem ludorum Paullo *Szandtner*, prodecano ordinis iuris mandavit. 3. Delegit viros, qui muneribus diversis fungerentur.

In consessu extraordinario die 2. mensis Iunii habito Senatus ordinibus auctoribus decrevit, at *Andreas Dudits* jun. pro anno scholastico 1919/20. gradum doctorum philosophiae sub auspiciis Gubernatoris adipiscendi causa, *Alexius Boér* jun. pro anno scholastico 1920/21. gradum doctorum politicae, *Stephanus Diószeghy* autem pro anno schol. 1921/22. gradum doctorum politicae sub auspiciis Gubernatoris adipiscendi causa viris summis clavum rerum sacrarum institutionisque publicae tenentibus commendarentur. Eodem consessu cognovit senatus ex relatione

Rectoris Magnifici ordines iuris et politicae consultorum, philosophorum et mathematicorum naturaeque scrutatorum decrevisse, ut ludis sollemnibus etiam *doctores honoris causa* crearentur. Provisum est etiam, ut a viris delectis *Nicolaus Horthy*, gubernator Hungariae, *Josephus*, archidux regius, Comes *Stephanus Bethlen* gubernaculi praeses cum viris rem publicam administrantibus ad diem festum invitarentur, litteraeque confectae sunt, per quas diversa collegia, societates, universitates litterarum singulique viri celeberrimi in partem ludorum sollempnium venire iuberentur. Verba litterarum per quas universitates exterarum gentium invitabantur, haec fuerunt:



*Universitas Litterarum Regia  
Hungarica Francisco-Josephina*

*lege XIX. anni 1872 in civitate Kolozsvarensi (Kolozsvár), urbe regis Matthiae condita, lege autem XXV. anni 1921. Szegedinum (Szeged) translatâ*

*hospitaliter rogat atque orat, ut festos dies semisaeculares Szegedini in Hungaria anno 1922. die XXIX. mensis Junii celebrantibus interesse, nomenque viri doctissimi hac vice functuri necnon diem adventus eius nobis nuntiare dignetur.*

*Dr. Gasparus Menyhárt,  
Rector Universitatis.*

Invitationi multi satisfacere parati erant, multique, impri-  
mis universitates exterarum gentium longinquitatem itinerum  
vel negotia excusantes salutationes gratulationesque mittebant  
quae in appendice huius libelli leguntur.

II.

### De die festo a. d. III. Kal. Jul. habito.

Dies sollemnis semisaecularis initium cepit hora decima honoribus divinis in cunctis templis habitis. Hora autem undecima *Nicolaus Horthy*, gubernator Hungariae cum comitatu ingressus in aulam Universitatis celebrantibus refertam et consessus sollemnis incepitus est. Ordo autem rerum hic fuit:

I. Rector Magnificus orabat Credo Hungaricum: „*Credo unum Deum, credo unam Patriam, credo unicam divinam aeternam Justitiam, credo Hungariam resurrecturam.*“

II. Rector Magnificus consessum sollemnem his verbis exorsus est:

Gubernator Altissime!

Gratiis pro omni favore Dei aeterni in cunctis templis actis hic in aula litterarum convenimus, ut diei Universitatis nostrae die XXIX mensis Maii anno MDCCCLXXII conditae memores anno semestri centesimo confecto etiam in luctu nostro festa sollemnia celebraremus.

Labore quem Universitas nostra per hoc semisaeculum peregit, in primis consilia eius nationis adiuvantur quae hanc Universitatem vivere ac vigere voluit. Beatos autem nos esse fatemur; conscientiam enim operis bene perfecti habemus, cum videmus nationem nostram festi diei nostri ex animi sententia participem esse factam.

Cum honore deditioque nationi debita saluto Vestram Altitudinem, virum principem nationis proculatae, sed caput in altum erigentis et vivere volentis, quem Hungaria optime de natione sananda et erigenda merentem sibi imperioque rei publicae praeposuit.

Nomine Universitatis gratias ago Vestrae Altitudini pro beneficio, quod diem festum nostrum praesens diem festum

etiam nationis esse voluit quodque institutione doctorum sub auspiciis Gubernatoris creandorum primum in nostra Universitate concessa Universitatem nostram ornare dignatus est.

Honore summo rogo Vestram Altitudinem, ut potestatem concessus sollemnisi habendi dare dignetur.

Post potestatem a Gubernatore datam Rector Magnificus hanc orationem habuit:

Gubernator Altissime!  
Altitudines Regiae!  
Concessus sollemnisi venerabilis!

Profecto non solum mihi, sed pluribus etiam conspicuum est hoc anno plura instituta formationesque sociales cursum semisaecularem confecisse. Cur hoc ita factum sit, facile intellegitur. Ante quinquaginta enim annos erat tempus quo natio oppressione liberata et ad vitam novam resuscitata, cum se pluribus de causis parum in doctrinis profecisse sentiret, vehementer festinare coepit, ut ingenii vires excoleret. Hoc tempore etiam nostra Universitas Litterarum post diurnas considerationes condita apertaque est, quo facto sine dubio intermissio plurium saeculorum reparabatur rataque facta sunt vota nationis, quae in unum corpus coaluerat. Quis tum crederet vel somniaret fata Universitatis Hungaricae Transsilvanae intra quinquaginta annos etiam tertium expleri, ut hoc iam accidit Universitati Stephani Báthory anno MDCIII, et ad novam vitam resuscitatae anno MDCCCLXXXVI iterum?

Sed nolimus turbare seriem rerum gestarum. Silentio, sine ulla sollemnitate, ut liberos hominis pauperis decet, Universitas nova nationis tunc admodum pauperis cursum incepit suum. Pannis velata lucem primam viderat. Et inimici — nam erant et etiam nunc sunt — qui alteram Universitatem Hungaricam condi noluerant, vaticinatores rerum eventu probati sibi visi sunt, cum Universitas primo anno auditores tantum 269 haberet. Sane etiam anno scholastico vicesimo uno auditores tantum 611 numerabantur. At si quis reputaverit Universitates non uno die condi, sed paullatim crescere, is profecto intellegebit novam Universitatem, dum ad eum pervenerit gradum quo sororibus natu maioribus contendere possit in doctrinis tradendis, plures auditores ne e proximis quidem regionibus ad se trahere posse. Qui autem consideraverit Universitem novam non ex veteribus incrementa capere, sed per assiduam operam humanum cultum civi-

lemque augentem sibi quasi ex nihilo creare, i. e. ex ea parte societatis humanae, quae ad id tempus doctrinarum bonarumque artium expers fuerat, is intellegit incrementa Universitatum novarum laboribus assiduis longinquorum annorum deberi.

Quis sanus exspectet fructus a propagine unum annum nata? Quis non respectet alias quoque causas, cur id fieri nequeat? Sed ardens manus professorum Universitatis iuvenilem aetatem agentis non offendebatur illa neglegentia virorum imperium rerum publicarum tenentium qui nostrae Universitati partes secundas dare malebant. Virtute atque industria strenuoque labore fundamenta ii futurae magnitudinis iaciebant, Septem adhuc vivunt ex viris, qui difficillimum hunc laborem suscep- runt. Duo iam pridem ad Universitatem Budapestinensem sunt transgressi. *Alexander Plósz* iuris Hungarici legis ferendae, *Victor Concha* scientiae politicae in Hungaria sunt conditores et etiam nunc praceptores, *Clemens Ovári* atque *Alexander Kolosváry* indagatores impigri iuris antiqui Hungarici, *Victor Csíky*, *Gabriel Vályi*, *Antonius Koch* aetate iam confecta otio fruuntur. Vehementer dolemus, quod nunc iis carere cogimur. Scimus ipsique scribunt *Plósz*, *Concha*, *Ovári*, *Koch*, *Kolosváry* (hic, quod valde dolemus, lecto affixus) infirma valetudine se impeditos esse, quominus ludi sollemnisi nostri partem capere possent. *Concha* autem scribit: „*Vitae meae pulchrum somnium erat, si Deo adiuvante diem festum semisaecularem Universitatis Francisco-Josephinae conditae valetudine firma vidisset, diem celebrantibus interesse.*“

Accipiant gratos memoresque nostros animos sentiantque amorem quo ingenuam eorum speciem amplectimur hoc die anniversario memorabili propter operam strenuam animo fortifiduciaeque pleno peractam, qua famam bonam Universitatis condiderunt.

Eorum autem memoria qui operis condendi participes iam in patria caelesti prosperis rerum eventibus gaudent, sit benedicta! Omnibusque iis qui operam bene inceptam postea exsequebantur, gratias agimus honoremque habemus, quod Almam Matrem nostram amore ac diligentia amplectebantur. Assiduo enim duroque eorum labore factum est, ut simulacra nummaria regni nostri meliore facta fieri potuit, ut intermissiones damnaque annorum viginti quinque repararentur (de qua re optime meritus est Comes Dr. Julius Wlassics, illis temporibus a die XV. m. Ianuarii anno MDCCCXCV clavum ministerii rerum sacrarum

publicaeque institutionis tenens qui pro Universitate nihil non faciebat, quam ob rem etiam hoc loco gratias illi maximas nos debere libenter fatemur), ut Universitas omnibus rebus instrueretur, insula aedificii centralis cum duobus contignationibus, clinicae magnificae bibliothecaque cuius parem tota Europa vix invenias et quam visuri multi etiam alienigenarum adveniebant, institutum demum zoologicum singulari cura exaedificarentur cathedraeque novae constituerentur: numerus collegiorum per semestre habitorum a 91 ad 250 augeretur, ita ut ab anno MDCMIV—V usque ad MDCMXIV, quo bellum gentium incepit, numerus auditorum Universitatis semper circa 2500 esset et sic inter Universitates Europae non ultimum locum teneret.

Et si, ut opinor, verum est Universitates augendo humano cultui civilique aptas ipsas sibi augere numerum iuvenum discendi cupidorum, numerus supra dictus non solum multitudinem ipsam indicat, sed etiam gradum processumque cultus humani opera eius Universitatis impetratum, cuius inter auditores praeter filios Transsilvaniae etiam filii Hungariae superioris, regionumque trans Danuvium meridianarumque usque ad Fanum Sancti Viti Flamonensis non pauci inveniebantur. Et haec non iactationis causa dicta sunt. Ipsos numeros introduxi loquentes.

Non est nunc meum res gestas annorum quinquaginta praeteritorum vel summatim adumbrare, minus etiam vim ostendere nostrae Universitatis in historia humani cultus civilisque Hungariae. Aliorum sit hoc munus qui ista profitentur. Qui sine dubio recordabuntur etiam verborum regis Rumaenorum, quae „nova“ Universitate in sede nostra labore quinquaginta annorum exstructa atque ornata inaugurata dicta sunt. „*Hic, inquit, in hac urbe sub imperium hesternum Universitas tum Hungarica dicta centrum indolis Hungaricae factum est . . . et adversus omnia alia studia nationalia mentem Hungaricam fovebat.*“

Opinor his dictis etiam invito auctore inesse laudem et gloriam nostrae Universitatis nunquam evanescentem.

Evidem laetor, quod natio nostra etiam immensa illa calamitate oppressa, resurrectionis fide habita intellectisque testimoniis praeteritorum temporum servavit sibi Universitatem, qua re probata sunt verba praceptoris mei, mox collegae atque ante me rectoris pia memoria culti, *Ludovici Farkas*, quae sollemni oratione festo die Universitatis nostrae inaugurate habita veluti vaticinans dixit: „*Quotiescumque haec natio post bella cruenta patriamque devastantia sibi redditia est et ex ruinis*

*aedificare cepit, Universitatis inter robora patriae nunquam immemor fuit.*"

Grato equidem animo sentio nationem societatemque amore Universitatē nostrā amplecti etiam festum diem semi-saecularem celebrantem.

Quam ob rem cum Altissimo Gubernatori Hungariae, Altitudinibus Regiis, Comitiis regni Hungariae, virisque clavum imperii tenentibus, Universitatibus Litterarum Academiisque, magistratibus comitatuum, societatibus litterariis omnibusque hospitibus carissimis gratias ex animi sententia dico, persuasus his sollemnitatibus initium vitae novae nationis et sic etiam Claudiopolis nostrae ver novum incepturnae significari, consensum sollemnem animo elato exordior.

III. Dr. *Carolus Tóth*, decanus ordinis iuris et politicae consultorum hanc orationem habuit:

Gubernator Altissime!  
Altitudines Regiae!  
Consensus sollemnis venerabilis!

More usitato vetereque Universitatis nostrae, ut festis diebus terminos quasi vitae Universitatis significantibus post Rectorem decanus eius ordinis loquatur, a quo Rector datus est — nunc, ut verba faciam, obligor.

Mos etiam praecipit, ut decanus tali tempore de quadam quaestione doctrinae disserat. Sit mihi fas nunc ab hoc more discedere propterque hoc ipsam rerum insolentiam excusare. Natio nostra hodie de vita sua dimicat. Pax quidem facta est, sed dimicatio nondum finita. Bellum enim in animis perpetuum geritur. In hac animorum conditione, apud hunc terminum vitae Universitatis rationibus fortasse probatum esse videbitur de quaestione agere quae et cum certamine magno nationis et cum vita Universitatis coniuncta esse, eiusque momentum gravissimum fuisse videtur: hic ante tribunal totius fere nationis exquirere, quo modo Universitas nostra adversus imperium Rumaenorum Hungariam obsidentium Universitate violenter adempta se gesserit.

Quae quidem quaestio non Universitatem solum, sed nationem universam, non praeterita tempora, sed praesentia et futura attingit, quaestioque non soluta mansura est, donec „restitutio in integrum“ efficietur.

Dixi hanc rationem nostram momentum gravissimum

annorum quinquaginta praeteritorum fuisse. Quae sententia mira fortasse videbitur festo hoc die eius Universitatis, quae labore strenuo ac duro famam nationi non solum in patria nostra augustiore, Transsilvania, sed etiam tota Europa acquisivit. Sed Universitates nusquam et nunquam erant institutiones solum in artibus versantes. Munus quidem primarium est Universitatum, ut doctrinis colendis patriae serviant, sed ei serviant omni ratione, omnibus vitae momentis. Universitates semper et ubique vires, facultates, speciem formamque cogitatam nationum in medium proferunt. Hoc est, cur „minoritates“ — ut dicunt — „nationalitatum“ sibi Universitates acquirere semper pertinaciter sint conatae. Quodque hoc praecipue ad Universitates Hungaricas refertur, eventus ipsa natura factus est conditionis rerum nostrarum, in quibus nos mille per annos, per totam nationis vitam certamina perpetua „minoritatum“ habebamus pro cultu atque humanitate nostro et pro libertate.

Quid autem dicam de Universitate Transsilvaniae?

Nos ibi, procul in Oriente, ad ripam fluvii Samosii castellum Hungarorum saxis impositum fuimus, ubi vires cogitationesque nationis ad imperium vocatae, genii denique nationis deponebantur et defendebantur.

Certaminibus quinquaginta annorum corroborati vigilabamus in atris bellorum tempestatibus. Personam gerebamus fiduciae, spei certae in rebus futuris nationis positae, voluntatis ad omnia paratae et usque ad victoriam non desperantis — non sine dubitatione, non sine angoribus animi, sed semper haud inscii, si non vicerimus, actum esse de nobis, comminutum iri nos ac dissectum.

Et factum est, ut eventus rerum incredibili crudelitate fidem nostram funditus everterent. Catastropa imminebat. Foris acies exercitus nostri disiecta erat. Domi autem, in terra fecunda Hungariae, sed quid dico, non in terra, in urbe capitali noxia exarduit ignis spiritu palustri excitatus, et planitiem Hungaricam usque ad finem devastavit.

Tempora iniqua etiam Universitati venerunt. Imperium revolutionis mensis Octobris decrevit, ut nomen conditoris Universitatis, regis *Francisci Josephi I.* de titulo et sigillis Universitatis deleretur, effigies eius auferretur, in insignibus regni corona sancta contegeretur. Quasi contegi illa unquam possit! Praeceptoribus Universitatis protinus potestas est data, ut iurandum fidei sine crimine infidelitatis in nomen principis Ru-

maenorū dare possent, et invitati erant, ut societates fabrum inirent. Quae omnia a professoribus Universitatis repudiata sunt.

Universitas Kolozsvarensis etiam tunc stetit fortiter, non tremefacta. In mutabilitate rerum horribili pronuntiabat doctrinam et vitam nationis aeternam esse.

Tum ultimus ictus pugni parabatur. Venerunt Rumaeni, venerunt agmina, primum non multi, timide, mox nullo resistente plures. Et die natali Jesu Christi ex civitate Kolozsvarensi *Cluj* factum est. Postea venerunt insectationes, designationes obsidum, stipendia imperata, calamitates, miseria.

Die X. mensis Maii scriptum allatum est praefecturae Clujensis ad Rectorem Magnificum quo edictum ministri cultus atque institutionis publicae Rumaenorum continebatur:

Mane diei abhinc tertio adfore in aula Universitatis legatum ministri, ut imperium Universitatis accipiat. Tradenda esse cuncta Universitatis loca, res instructas, bibliothecas, seminaria, instituta, clinicae, res omnes, quas cultus humanus, doctrina, voluntas, perseverantia Hungarorum per semisaeculum conferabant.

Professores singulos ad iusiurandum dandum provocandos esse. Eos qui iusiurandum dederint, in cathedris suis maurus, sed rei scholasticae causa usque ad autumnum etiam eos manere posse, qui iusiurandum dare recusaverint, modo si imperium Rumaenorum agnoverint.

Hoc erat edictum Rumaenorum.

Et venit dies tertius, dies XII. mensis Maii. Universitas militibus Rumaenis cingebatur. Et venit secretarius status Rumaeni cum comitibus. Accepit eum cum senatu Rector *Magnificus canis capillis*, Dr. Stephanus *Schneller* tradiditque responsum Universitatis:

*Nos iuriurando regno Hungarico dato fideles manebimus, idque nullo modo violabimus. Consilium dirigens imperii Rumaeni Cibiniense non agnoscamus, imperium Rumaenum esse vetamus. Universitatem resque eius non trademus.*

Professores singuli interrogabantur. Ad iusiurandum Rumaenis dandum nemo eorum adduci potuit. Professores paratos esse se fatebantur rei scholasticae iuvenum causa servire, sed solum salva libertate docendi automiaque Universitatis integroque imperio Hungarico in rebus Universitatis.

Statim imperium Rumaenum proclamatum est. Universitas statim violentur adempta, professores amoti. Juvenes ante an-

num scholasticum finitum, ante examina tentata consilii inopes in porticibus Universitatis se premebant. Rector novus ad alterum annum electus, Dr. Valentinus *Kolosváry* ad eos loquebatur. Dixit de perseverantia, dixit de caritate patriae, dixit de temporibus futuris melioribus, dixit lacrimis obortis. Et lacrimis implebantur oculi iuvenum, albescebant vultus, contremebant labra, manus in pugnos comprimebantur.

Professores et discipuli sine voce, defixis oculis discedebant. Universitas vacua manebat.

Consummatum est.

Valentinus Kolosváry revera orationem illam habuit. Universitas violentiae illatae „passive“ certe resistebat. Valentinus autem Kolosváry propter illam orationem proditor patriae in iudicium castrense vocatus est. Professores Universitatis urgebantur, vexabantur, domibus eiciebantur, victu spoliabantur.

Et nunc hic stamus ante tribunal nationis demissis capitibus et quaerimus — nostro periculo —: rectene fecerimus?

Criminationes non raro aceras audiebamus quas ex bona fide natas esse non negaverim. Dicebatur: nulla religione factum esse, ut Transsilvani ad extremum resisterent, ut tot familiae bonae frugique magistratum Hungaricorum calamitate affligerentur. Utilius fuisse conditionibus servatis, rebus accommodatis ex interiore parte commoda Hungarorum defendere. Sic Hungaros Transsilvanos sine duce relictos brevi confectum consumptumque iri, et si quando lux illuxisset, defore Hungaros, qui illa frui possent.

Quo longius a rebus gestis distamus, eo lucidius appetet nos recte fecisse. Mense enim Maio anni MCMXIX in Transsilvania sic se res habebant: Transsilvania ad Hungariam pertinet. Pax Trianonensis nondum facta est. Imperium a consilio dirigenți Cibiniensi, id est ab imperio ex rerum commutatione nato exercetur. Foris autem afferuntur nuntii laeti ex Britannia, ex Franco-Gallia, Bucaresta. Afferuntur tabulae geographicae, quibus ostenditur, solum angulum Coronensem peritulum, cetere cuncta mansura. Et afferuntur nuntii etiam hinc, Szegedino, a viris principatum tenentibus, consilii publici etiam nunc auctoribus; non omnia periisse, perseverandum esse! Et recte nos ab iis admonites esse docet liber *Nittii*, omniaque ex eo tempore facta quibus appetet, si „bolsevismus“ non fuisset vel citius confectus esset, si invasio Rumaenorum non redintegrata esset, nationem exitii huius horribilis expertem esse. His de causis spem, fidu-

ciam sui, inter dubitationes autem animum fortem professores Universitatis, p<sup>r</sup>aet ceteros *Michael Réz* sustentabat. Sed et nos omnes sustentavimus qui hanc pacem rationis expertem fieri nullo modo posse credebamus.

Ad haec accessit, quod Rumaeni iam ceteros magistratus publicos omnes, sed nondum Universitatem occupabant. Magistratus ipsos dimiserunt. Hi iam per plures menses vitam in egestate degebant. Sola Universitas stebat incolumis. Hanc attingere nondum audebant.

Quaero nunc: hoc rerum statu, cum conspectus lacrimabundus, inter spem desperationemque haesitans omnis Transsilvaniae, cum oculi lacrimis repleti virorum et familiarium per tot iam menses in egestate degentium ad Universitatem intenti exspectabant, quid illa faceret, quae ad id tempus nulla iniuria laesa fuerat, num sibi constaret, cum de salute praeceptorum ageretur; quaero, num hoc rerum statu viris honestis aliter agere licuerit?

Sed quaerere etiam audeo: num aliter decernere iis licuerit, si solum sapientia quae dicitur politica res perpendamus?

Hic rerum status admodum similis est statui rerum temporibus „absolutismi“. Etiam tum non vires unius potestatis, sed unitae vires potestatum nobis infestarum nos perdiderunt. Tum quoque „passivitate“ erat opus, ut superstites esse honorificeque surgere possemus. Tum quoque nova quadam, nobisque fausta dispositione potestatum primariarum indigebamus, ut resurgeremus.

Sic se res etiam nunc habet. Nunc etiam sic se habebit.

Nos, populus parvus Hungarus „granum pulveris“ sumus pro viribus potestatum primariarum. Sic nostra fortuna ex compositione virium externarum pendet. Parvitatem nostra, si quid acciderit, re ipsa „passivitas“ praescribitur. Sed quamquam puncti minimi instar esse videmur, tam duri quarzi crystallini similes, quod — ut temporibus peractis declaratur, — haud facile conteratur, cuiusque ceterae gentes indigeant.

Rursus quid „activitas“ valeret, ex eventibus rerum apparuit. Nam etsi bona fides, caritas patriae apud eos, qui „activitate“ uti maluerunt, non sit in dubium vocanda, factis ipsis haec arguuntur:

Pars eorum qui magistratus quosdam tenentes iusiurandum Rumaenis dederunt, locis amovebantur. Qui relinquebantur, locis inferioribus palpitant.

Sed ne in rebus quidem politicis „activitate“ successus rerum expectatus efficiebatur. Id solum effectum est, ut gentibus declareretur gentem Hungaricam de sorte sua se consolari. Sed defensio „minoritatum“ non audita est. Hanc confirmare unica potestas terrestris poterit, potestas parva Hungariae.

Hanc „passivitatem“ cum perpessione, aerumna, acerbitate coniunctam esse quis neget? Sed Hungariae nunc advenit tempus calamitatum. Haec passivitas, et lacrimae, labores, ignorancia ex ea nata procreant eas vires recte moratas, ex quibus Hungaria denuo nasceretur. Quodque ad haec fundamenta honestatis etiam nostrae Universitati contigit primariorum lapidum unum ponere, haec laus est aeterna nostra, pro qua perpetuo pia vota Deo omnipotenti faciemus. Sic Universitas tot labores perpessa, iactata, irrisa, omnibus opibus spoliata, sed casta atque immaculata stat hic coram natione.

Hic autem dies sollemnis, quod ad causas, effectum naturamque attinet, rationibus supra expositis prorsus congruit. Ut tum ibi, sic nunc hic — neminem nihilque timentes — profitemur fidem nos habere rebus huius nationis futuris.

Inter responsa ad invitationes nostras ab Universitatibus externis accepta, id, quod ab Universitate Gissensi missum est, in primis animum meum arripuit. Spiritus enim elatus Germanorum eo manifestatur. Haec enim nobis scribunt: „Quod vero post calamitates belli infelicissimi translata Academiae Vestrae sede *terram, non animum mutastis*, id faustum nobis auspicium videtur *animi fortis impavidique*.“ Nosque hoc sollemni momento temporis Universitatem Gissensem certiorem facimus exspectationem eorum nos non esse decepturos.

Nos hic in media planicie Hungarica arbor sumus interdictionem nuntians. Nos exclamatio ad sidera sublata sumus, quae planitiem magnam Hungaricam quiescere non sinit. Nos freminus simul cum tempestate in noctem hanc caliginosam Hungariae: nos hac sorte non acquiescere, nos impavide elaboraturos pro futuris nationis temporibus. Nos vivere velle.

In ripa Tibisci statua alba stat velo lugubri caput adoperta. Hac statua alba natio Hungarica repraesentatur. Nos nihil aliud, nisi legem naturae pronuntiamus. Pronuntiamus nulla voluntate hominum, nulla vi terrestri deleri posse coronam montium Carpatium, in tres partes dissecari Tibiscum Hungaricum, extinguiri caritatem patriae in animis hominum ducenties centenorum milium.

Dicendi iam finem faciam. Hoc momento memorabili temporis memini dictorum Stephani Széchenyi. Qui haec scribit: „*Gens Hungarorum gens est aetatem puerilem agens. Nunc nihil par, sed „omnis“ fieri potens, si modo intelleget, se nihil esse. Duos tantum inimicos habet: Opinionem praeiudicatam et de se nimiam.*“ Haec ait Széchenyi.

„*Opinio praeiudicata*“ . . . hoc est odium ex ea natum, discordia, vires nationis oppositae, classes sectaeque contra se incitatae.

Et „*nimia de se opinio*“ . . . haec est fiducia virium superba, commoda nationis, etiam minima relictia in discrimen vocans.

Ab his duobus inimicis tuebatur Széchenyi nationem suam. Etiam nunc hi duo nos ad perniciem trahunt. Attamen Trianonis oblivisci non licet, ubi de omnibus actum est, etiam de principatu. Ibi de omni iure decedendum erat.

Attamen de una re non decessimus: de fide speque temporis futuri melioris. Et non periit subsidium huius fidei: iuventus Hungarica. Haec nobis mansit animo integro vere Hungarico, voluntate omnia perrumpenti.

Evidem hoc momento temporis sollemni unum oro a Deo omnipotenti, ut confirmet animos iuvenum cunctorum Hungaricorum cis et trans limites. Impleat eos spiritu Stephani Széchenyi, ut ex hac societate nostra dilacerata unam facere, rationes virium recte perpendere, et animo forti exspectare, semper exspectare, sed si tempora venerint, etiam agere possint.

Stent omnes iuvenes Hungarici fortiter et constanter ponē illum virum quem his temporibus inquis divina nobis dedit Providentia, qui verba illa Széchenyiana fatetur, qui unitatis et considerationis severae personam gerit: stent uniti — ut e republica est — pone Gubernatorem Hungariae.

IV. *Gabriel Kovács* studiosus medicinae nomine iuventutis Academicae salvere iussit Universitatem.

V. Dr. *Joannes Csengery*, decanus ordinis philosophorum, philologorum, historicorum carmen suum semisaeculare recipitavit:

#### CARMEN SEMISAECULARE.

Perventum est ad finem semisaeculi:  
Paullum datur fortasse requiescere.  
Viam laboris denuo dum pergimus,  
Celebrabimus hic iure laetum hunc diem.

Deo potenti agamus grates maximas,  
 Caliginosa nocte qui non defuit,  
 Atque interire filios non passus est,  
 Quos sustinebat et spes et amor, fides.

Illic si nobis illuxisset hic dies,  
 O Alma Mater, incunabulis tuis,  
 Quae nunc levaret animos superbia  
 Respicientes iam peracta tempora!  
 En, diceremus, non frustra contendimus,  
 Ager ferax est nostra consitus manu  
 Et gloriose splendet lumen artium  
 Super Athenas parvas ad Samosium.

O parvae Athenae! Bella Claudiopolis  
 Sacrataque Aula tu bonarum artium,  
 Quid factum ex te? Quo devenisti, eheu?  
 Quem luctum, o quam aegritudinem dabas!  
 Proh di, quis unquam crederet, vestigia  
 Calcare nostra quondam in te barbaros,  
 Memorem esse non licere te tui,  
 Lacrimisque Hungarorum ali Samosium?

Quis crederet extores olim finibus  
 Despoliatos nos vagari mendicos  
 Tectum petentes angustis in terminis  
 Veteres colonos qui migrare iussi sint?  
 Sic e complexu nostrorum nos abstrahi,  
 Iis qui vivant quosque terra iam tegat,  
 Eaque quorum studiis illic arsimus,  
 Irrideri pusillis abs epigonis?

Tu scis, Deus, cur nos prostraveris humi;  
 Punis, ut olim, gentem electam tuam.  
 In omne tempus non tamen nos desereres,  
 Non amovebis sanctam a nobis manum.  
 Luimus satis iam! Et reges sancti duo,  
 Patrona virgo et Elisabetha, credimus,  
 Iam expiabunt te exorantes vocibus,  
 Iam impetrabunt gratiam nobis tuam.

Sentimus ecce, miram indulgentiam:  
 Dedisti nobis hic sedem optatam novam.  
 Flamma excitata prisca supra aram novam  
 Recenti ardore flagrat pro summis bonis.  
 Multis amissis allata est tamen fides  
 Immobilisque nostra stat fiducia.  
 Iniqua sors non expilavit pectora  
 Industria atque amore plena patriae.

Nostrum est opus, favor tamen solum tuus.  
 Fave incohatis, o Deus, laboribus!  
 Clamorem de profundis nostrum exaudias:  
 O adiuva nos, demergi ne siveris!  
*Iustitiae* extincta luce redditia  
 In nobis ipsum orna te, pater bone!  
 Exsolve nostras in caelum missas preces:  
 O liberam iam redde nobis patriam!

#### VI. Gratulabantur Universitati:

1. Nomine Comitiorum regni Hungariae Dr. *Stephanus Kószó*, secretarius status in rebus internis, a natione in comitia regni missus:

Altitudines Regiae!  
 Rector Magnifice collegiumque Professorum!

Nomine Comitiorum regni Hungariae mutilatae laboribus aedificandi occupatorum salutationem et gratulationem affero, quae voluptate simul et dolore animos nostros replet; voluptate, quia Universitas Francisco-Josephina sollemnia quinquaginta annorum laboribus prosperis peractorum celebrat; dolore, quia non in sede sua, regionibus montibus coronatis Transsilvaniae, sed in sede olim media planitiei Hungaricae et nunc in urbe in finibus extremis posita festum diem semisaecularem celebrare cogitur.

Fortasse ex praecipua divina providentia factum est, ut Universitas Kolozsvarensis iuventutem Hungaricam Siculorum virtute et pietate erga patriam repletam in arcem in confiniis exstructam afferret fortasse ideo, ut hinc ab finibus duplicitibus hostium Orientem et Meridiem versus proclamaret „irredentismum“ Hungarorum, sanctum ignem animorum incenderet, quo coniunguntur sumnum desiderium aegritudoque consanguineo-

rum nostrorum regiones obsessas incolentium et voluntas fortis iuuentutis nostrae, ex quibus renascetur Hungaria animo moribusque purgata, christiana, nova atque integra.

Comitia regni Hungariae rogant Universitatem Franciscó-Josephinam, ut explicandis virtutibus nationis viue litterarum et artium novae, integrae veraeque Hungariae Christiana fide exaedificandae auxilio sit. Tum denique sollemnia vera celebrabimus!

2. Nomine imperii regii Regni Hungariae Dr. *Ludovicus Tóth* secretarii vice fungens in ministerio regio Hungarico rerum sacrarum institutionisque publicae gratulatus est Universitati edixitque comprobationem ministerii clavum rerum sacrarum institutionisque publicae tenentis pro meritis praeteritorum annorum pollicitusque est Universitati subsidia imperii publici etiam in futurum.

3. Nomine Academiae Litterarum Hungaricae, plurimumque Societatum litteriarum Dr. *Alexander Márki*:

Nomine Academiae Litterarum Hungaricae, Academiae de Sancto Stephano nominatae, Societatum: Historicorum Hungaricorum, Kisfaludyanae, Litterariae Transsilvanae, de Sigismundo Kemény nominatae gratulor Universitati, ex cuius professoribus septuaginta etiam Academia Hungarica Litterarum suos esse vindicat, viginti quidem septem pia solum memoria colens, quadraginta trium autem etiam nunc strenua opera gaudens. Mortuorum magna pars terra contegitur, cuius aurum, sal, fruges, vectigalia nunc in aliorum possessione sunt: sed spiritus eorum etiam ex profundó, e sarcophago prorumpens semper noster erit eamque terram solis instar calefaciet. Qui vivunt, hic Szegedini de vetere flamma lumen recens accendent, illustrantes viam quae ad eos eorumque exemplar ducit. Veterum memores quaerimus: Si Deus nobiscum, quis contra nos? Post nubila Phoebus. Deus qui Universitatem servavit, fortunet eam novamque eius sedem, Szegedinum!

4. Nomine Universitatis de Petro Pázmány nominatae Budapestinensis Dr. *Blasius Kenyeres* olim professor Universitatis Franciscó-Josephinae gratulabatur Universitati oratione animos audientium commoventi.

5. Nomine Polytechnici Josephini Cornelius *Zelovich* rector haec dixit:

Gubernator Altissime! Altitudo Regia!  
Rector Magnifice!

Consessu Comitiorum Regni die 7. mensis Aprilis anno MDCCCLXX habito *Josephus Eötvös* minister clavum rerum sacrarum institutionisque publicae tenens leges ad Comitia Regni tulit ad renovandum Polytechnicum Josephinum et ad creandam Universitatem Kolozsvarensem.

Polytechnicum igitur Josephinum regium — ut ante mensem in sollemnibus semisaecularibus nostris facete et commode dixit Rector Magnificus Universitatis Francisco-Josephinae — soror gemina est Universitatis olim Kolozsvarensis, nunc Szegedinensis.

Salutationem et gratulationem sororis geminae affero et pronuntio sollemnibus his semisaecularibus Universitati Francisco-Josephinae.

Polytechnicum regium Josephinum est hodie inter Academias technicas custodia ad fines Occidentis et Orientis posita, quo maioris etiam momenti est. Simillima autem est conditio in sede sua nova Universitatis Francisco-Josephinae.

Haec Universitas fastigium altum assecuta sedi suae veteri nomen *Athenarum ad Samosium* indidit, et cum expulsa est, civitas Kolozsvarensis olim — ut dicebatur — „thesauris referta“, thesaurum pretiosissimum amisit. Athenae ad Samosium iam existere desiverunt.

Institutum enim a praceptoribus qui dicuntur Universitatis cursibus senis hebdomadibus conformatis administratum ne in ære Balcanico, inter mores Balcanicos quidem Universitas nominari potest.

Universitas autem Francisco-Josephina etiam hinc ex terminis terram veterem illuminat faceque doctrinarum alte sublata vi quadam magnetica Hungaros divulos ad se trahit. Et hoc vinculum animorum dissolvi nullo modo potest.

Undae quae ab Athenis ad Samosium praeter Szegedinum Tibisco flavo volvuntur, dolorem illum summum eloquuntur sedis veteris Universitate celeberrima spoliatae.

Locus civitatis Szegedini pulcherrimus, forum Széchenyi-anum statua ornatur mensoris Hungarici ingenio praestantis, Paulli *Vásárhelyi*, operum maximi illi Hungari (Széchenyi) socii fidissimi. Quae statua muta testis est eloquentissimus caritate patriae invicta, sententia firma, virtuteque cum peritia

rerum coniuncta fieri posse etiam ea quae fieri posse non videbantur.

Vásárhelyi domuit Tibiscum, qui indomitus esse videbatur. Opibus ingenii per quinquaginta annos congestis vique invicta etiam Universitas Francisco-Josephina brevi efficiet id quod nunc vix speratur.

Soror gemina non nescit brevi se visuram esse illum diem, cuius similem non anni, non saecula procreant, cum „vitae robigine: cura, desperatione, dolore non excruciamur.“

Ex animi sententia optat, ut quam primum „patefiat sacra facientibus porta sanctae illius aulae“ et sonet „epinicum illud: halleluja, halleluja.“

Universitas Francisco-Josephina denuo et semper floreat!

#### 6. Nomine Universitatis Litterarum de Comite Stephano Tisza nuncupatae *Bela Sass*:

Gubernator Altissime! Altitudines regiae! Praeses Illustrissime Ministerii publici! Rector Magnifice! Senatus Academice Venerabilis!

Nomine Senatus academici Universitatis regiae de Comite Stephano Tisza nominatae honore sincero, amore fraterno gaudioque summo saluto Universitatem reg. Hung. Francisco-Josephinam sollemnibus quinquaginta annorum. Saluto non nescius concordiae illius summae animorum, qua divus ille rex noster, *Franciscus Josephus I., Colomanus Tisza*, vir summus et martyr ille immortalis, Comes *Stephanus Tisza* artissimis vinculis erant coniuncti, ut trias eorum augusta regiam superbam Hungariae novae exaedificaret. Quam regiam quamquam iniqua sors manū ahenea diruit, animi tamen mortuorum etiam hodie cum suis votis sublimes pendent supra Universitates ambas ut caritate patriae impleant animos nostros afflictos cordaque cunctorum Hungarorum ad regionem superiorem cogitationum sublimiorum morum incorruptorum elevent, unde rores salubres animos lenientes cadunt in solum veri sterile. Sic est, hanc coniunctionem sanctam atque indissolubilem volebant conficere per Universitates novas heroes nostri pia memoria culti et nos hodie multo magis ac hucusque persentimus hanc esse unam, quae nos ex nocte profunda temporum praesentium eripere et in regiones amoenas Auroraë roseae temporis futuri melioris traducere possit.

Sensum unitatis animorum ex normis et regulis communibus natum vobis interpretor, qui pretiosissimos thesauros Claudiopolis, urbis thesauris refertae patriae nostrae conservavistis; attulistis enim monumenta temporis gloriose peracti, vim invictam doctrinarum spemque resurrectionis animos alentem. Opibus illis ingenii morumque, qui corrumpi nequeunt, quorumque vos peritissimi estis possessores, a montibus Carpathibus usque ad mare Adriaticum, a saxis Dévéniis (Dévény) usque ad Alpes Siculorum omnia redimi possunt quae his temporibus amissa esse videntur. In hoc autem triumpho patriam acquirenti artium Hungaricarum duce Francisco Josepho I. vos estis vocati, ut nobis viam monstretis, nos autem sub signo albo Stephani Tisza impavidi vos sequemur.

Duit Deus vobis tempus futurum etiam peracto semisaeculo splendentius, duit vires patriae Hungarorum urbique Comitis *Ludovici Tisza*, ut vos ad imperium proferendum bene praeparare atque instruere possint. Septemtrio autem nitidus amoris Hungarorum in patriam inmittat radios virium magicarum desiderii cuiusdam sancti pectoribus professorum discipulorumque Universitatis, donec in patriam montuosam redibunt, ut tum domi corona expiationis aeternae redimiat tempora nunc spinis cruenta.

Universitas Francisco-Josephina vivat et floreat per annos innumerabiles!

7. Nomine Universitatis Litterarum de Elisabetha nominatae et Societatis Physicorum Dr. *Bela Entz*:

Gubernator Altissime! Altitudines Regiae! Rector Magnifice! Senatus Academice venerande!

Nomine Universitatis Elisabethinae amore fraterno gratulor Universitati Francisco-Josephinae sollemnia semisaecularia celebranti. Fortuna non concessit, ut haec sollemnia in sede Universitatis, in urbe regis Matthiae celebraremus. Etiam Universitas vestra, sicut nostra fato coacta est migrare de sede sua. Ambae Universitates fato profugae in urbe capitali regni conveinerunt et aliquamdiu una munere a natione conlato fungebantur, donec sapientia legislatorum novae speculae utriusque in finibus meridianis adsignatae sunt. Seiuncti sumus, sed una mansimus opinione iustitiae, studio ardentि artium cultusque humani et amore patriae. Pergat Universitas Francisco-Josephina etiam in nova sede exequi laborem artium ac litterarum in orbe terrarum

notum eodem successu quo in partibus ad Orientem spectantibus regni Hungariae exsequebatur. Omnibus enim nobis persuasum est patriam nostram resurrecturam esse.

8. Nomine Facultatis Oeconomicae publicae Dr. *Edmundus Kuncz*:

Rector Magnifice!

Facultas Oeconomicia publica Universitatis Budapestinensis juvenilem aetatem agens commoto animo accedit ad Universitatem Francisco-Josephinam festum diem anniversarium quinquaginta annorum celebrantem. Sors, ut videtur, ita tulit, ut omnia gaudia huius generationis maeroribus miscerentur, ut ubicunque vulnera aperta, spes decerpitas, conatus interruptos inveniremus. Sic etiam haec sollemnia laeta exsillii acerbitate nubila et lacrimosa fiunt. Sed quod Universitas Francisco-Josephina sollemnia semisaecularia celebrat, hucque secum attulit omnia quae pretiosa, gravia, validaque videbantur, ut gentes veterimae ignem lapidibus inclusum; quod etiam omnibus rebus artium calendarum spoliata facem collucentem litterarum praefert, spes fiduciaque nostra in tempore futuro meliore nationis posita firmatur et corroboratur. Vis enim virtusque qua cultus humanus creatur, ipso cultu humano maioris est momenti. Quamdiu autem hoc regnum imminutum tales habet filios, quales sunt signiferi nobiles huius Universitatis, tamque consentientes suaque condonare paratas urbes, ut Szegedinum sedem Universitati praebens, quae urbs post vastationes inundationum demonstravit, quid esset labor ille durus aedificandi, — tamdiu non est cur timemus, cur fortunae cedamus, cur de rebus nostris desperemus. Reverentiae pleni agimus gratias Universitati sollemnia celebranti pro hoc testimonio sublimi et ex animi sententia optamus ei patientiam atque eventus bonos in operibus sibi propositis conficiendis.

9. Nomine Scholae Veterinariae superioris Dr. *Julius Gróh*:

Gratulationes Scholae Veterinariae superioris affero et nuntio Universitati Francisco-Josephinae quae calamitate communis tecto carere cogebatur. Non attuli verba laeta, nam nulla vox, nullus sermo repperitur quo vel unum hominem Hungarum pro tantis damnis iacturisque consolari possemus. Sed nuntium attuli omnes nos credere et sperare exsilium vestrae Universitatis finem prosperum habiturum opesque magnificas animi

quas intactas servavistis, quaeque nunc in urbe nobili hospitale Szegedino ferunt fructus utiles, ad sedem suam reductum iri. Hunc nuntium attuli.

10. Nomine Scholae Metallicae superioris Semniciensis (Selmec) Dr. *Stephanus Vitalis*:

